

didit nimirum Abrahamus promissioni DEi, quem noverat & mortuos suscitare posse, & vocasse olim, seu in initio mundi, quæ non erant, ut essent, sic à majori veluti ad minus argumentatus. Egregiè *TIRINUS* *Comment. in S. S. adh. l.* accommodationem hanc declarat: *Qui enim vivificat mortuos, id est, resuscitat à morte quoscunque vult, imò ea que non sunt, seu nondum existunt in rerum naturâ, perinde vocat è suo nihilo, & facit realiter existere, atque ea que jam pridem sunt in rerum naturâ. Vocat, inquam, sicut solet herus vocare famulos suos: nam æquale tam in illa, quam in ista imperium habet, inquit S. Chrysostr. & August. Quanto facilius potest ex sterili facere fecundum, & multarum, imò omnium, gentium parentem? Unde meritò Abraham v. 18. contra omnem spem natura, seu naturalis potentia generativa, credidit in spem gratia, providentia & promissionis divina conceptâ certissimâ fiduciâ, quod que sibi promittebantur à DEo, infallibiliter obventura essent. Ut igitur, propriâ verborum significatione servatâ, τὰ ὄντα sunt entia, i. e. quæ essentiam existentem habent; ita τὰ μὴ ὄντα, non-entia sunt, i. e. quæ non habent essentiam existentem, sive nihil. Oppositorum enim eandem oportet esse significationem. Ulterius & provocamus ad Locum *Ebr. XI. 3.* ubi secula dicuntur verbo DEI perfecta, ita, ut non ex apparentibus seu visibilibus ea, quæ videntur, facta sint. Cum itaque res non sint visibiles, nisi respectu materiæ suæ, DEus autem non ex visibilibus visibilia condidit, sequitur, Apostoli mentem esse, fide nos intelligere, DEum non creasse mundum ex materiâ jam existente, sed ex nihilo; At vidimus §. 8. Dippelium pro suâ sententiâ hunc locum allegare, ut per invisibilia intelligatur ipsa essentia divina, quæ invisibilis est. Verùm, sic eum clariùs hoc oportuisset probare, quod sine probatione gratis supponitur. Ceterum, cum ad hæc *Comp. Mateol. Fanat. Recent. Part. 1. Cap. II. Th. 1. Observat. 2.* responsum jam sit, licebit eadem hic iisdem repetere verbis: *Locus Ebr. XI. 3. adeò Fanaticorum sententiam non suffulcit, ut potius destruat ipsam. Aliud sanè est, cum Apostolo dicere, ea, quæ cernuntur, non facta esse ex apparentibus, i. e. ex reverà præ-**